

MEMORIAM,

VIRI,

NOBILISSIMI, CLARISSIMI,

*atque* DOCTISSIMI,

M. JOHANNIS  
GEORGII

Spieß!

RECTORIS

DE SCHOLA CNIPHOFIANA

OPTIME MERITI,

*Posteritati commendant*

RECTOR ET SENATUS

REGIÆ ACADEMIÆ

REGIOMONTANÆ.



---

REGIOMONTI, Typis REUSNERIANIS.



MEMORIAM

VIRI

NOBILISSIMI, CLARISSIMI

acque DOCTISSIMI

M. JOHANNIS

GEORGII

Spicq

RECTORIS

DE SCHOLA CATHOLICANA

OPTIME MERITI

Postscriptum

RECTOR ET SENATUS

REGIAE ACADEMIAE

REGIOMONTANA



REGIOMONTANA, Typis REGIOMONTANIS



**P**ermagni in civitate interest, Viros, tum litteris, tum vitæ morumque, innocentia, præstantes juventutem dextre erudire; nec inconcinne Imperator, omni togatæ sagatæq; laudis genere, immortalis, Carolus V. ad rectam civitatis cujusque ac Republicæ administrationem, tria P. maxime necessaria judicavit: *Pastorem*, qui bono animarum & pietatis officiis; *Prætorem*, qui legum observationi; *Præceptorem*, qui juventutis institutioni invigilet. Et horum quidem ultimum, ita cuivis civitati pernecessarium est, ut nisi solícite de Præceptoribus optimis circumspexerint Patres Curia, vix reliqua duo è suis sperare, aut Pastores Prætoresque muneribus suis pares è civium numero polliceri sibi possit posteritas. Quam enim utile est, statim in tenerioribus annis, primos naturæ puerilis impetus frangere, ac certos intra limites coërcere, ut frenum pati discant, nec adultiores facti pessimis moribus civitatem inficiant; quam necessarium est, pronos ad voluptatem animos retrahere, ne illecebris ejus semel deliniti, eam



eam per omnem vitam ducem sequantur: tam utile, tam etiam necessarium est, Viros doctrina ac pietate insignes adolescentibus præficere, qui, opportunis ingenuarum artium atque integræ vitæ præceptis, ignorantiam pellant, motusque rationi dissonos cohibeant, ne hi radices agant, & rem aliquando publicam disturbent. Membra corporis statim ab ipsis natalibus sunt fingenda, ut recta adolescant; arborum tenellarum rami statim formandi, ne distorqueantur: ita etiam inde ab initio indoles juniorum dirigenda, ne ex homine horrendum, excrescat monstrum, Reipublicæ non solum dedecorum, sed & noxium.

Hinc Reges, hinc Respublicæ, & quotquot sapientia & dignitate eminuerunt, magno in pretio habuere bonos Præceptores, & thesaurum longe pretiosissimum se reperisse sunt arbitrati, quoties in hujusmodi hominem incidissent, qui in tractandis atque imbuendis adolescentum animis excelleret. Non ignotum illud *Pbilippi*, Regis Macedonum est, identidem dicere soliti: *Non tam gaudere se natum sibi filium Alexandrum, quam Aristotelis cum tempore natum, ut ab hoc ad vitæ integritatem virtutesque Principe dignas institueretur, & quem ipse mortalem genuerat, Aristoteles divinis Philosophiæ præceptionibus redderet immortalem.* Nec aliam ob causam, vel *Cræsus* Solonem in Lydiam, vel *Darius* Herachlytum in Persidem, vel *Dionysius* Platonem in Siciliam litteris, omnibusque honoris testificationibus invitavere, quã quod probe intelligerent, magnam felicitatis publicæ partem inde proventuram, si adolescentes regnorum suorum cives, doctrina & exemplis optimorum. Præceptorum, genuina veræ virtutis & eruditionis prin-

principia imbiberent. Unde & *Athenienses*, politissima & prudentissima Græcorum natio, *Zenoni*, quod complures annos in civitate Philosophicè versatus, juvenes, qui ad eum doctrinæ & disciplinæ causa pervenerant, ad virtutem & frugalitatem exhortando, optimam Reipublicæ navasset operam, non publicam tantum laudationem decreverunt, sed & sepulcrum ei magnificentissimum, in *Ceramico*, loco urbis frequentissimo, exstruxerunt, aureamque coronam exquisite elaboratam, pretiosum quasi laborum, etiam post fata, præmium, superimposuere. Quin & erectis duabus columnis *Zenonis* laudes inscripsere, ut viveret apud ipsos mortui memoria, testatumque relinquerent, quanti merita Præceptoris optimi facerent, & hoc exemplo, alios ad tantundem præstandum incitarent, qui tam laboriosæ, tamque utili Reipublicæ muneri serio se addixissent.

Nos, cum ante hebdomades aliquot, *Nobilissimum, Clarissimum, atque Doctissimum Virum, M. IOHANNEM GEORGIUM Spiesl* Rectorem Scholæ *Cniphosianæ* meritissimum amiserimus, merito ejus quoque memoriæ tabulam suspendimus. Equidem non obtinet ille, ut *Zeno*, post obitum, coronam auream, aut *Mausoleum* splendidum, aut incisas columnis laudes; nec jam desiderat humana ejusmodi, perenni in cœlis sibi imposita corona, eaque infinitis modis aurea illa præstantiore, plene contentus: nobis tamen nunquam non, *Viri* illius ob insignem operam juventuti erudiendæ ac regendæ, per annos ferme *XXIV*, summa industria, fide, atque zelo impensam, grata esse debet recordatio. Quæ ipsa tanto nobis gratior est,

B

quan-



quanto ille juventutem fidei suæ commissam, in Latinæ lingvæ fundamentis, quæ firma omnino in scholis jacienda sunt, accuratius instruxit, discipulosque, non nisi debita præparatione maturos, è ludo dimisit, quos nonnullorum Præceptorum, vel supina ignorantia, vel intolerabilis negligentia, semicrudos & à barbariei sæcibus nondum fatis purgatos in Academiam transmittit.

Natus Noster Kattenhohenstati in Franconia A. N. C. M DC LX. Non. April. ignotum nobis antea patriæ vocabulum suis virtutibus illustravit. Pater ei *Vir Plurimum Reverendus atque Doctissimus*, MICHAEL Spieß| *fidelissimus ibidem Ecclesiæ per septem & quadraginta annos Pastor, & Reverendi Ministerii Senior: Mater Præstantissima Femina*, MARIA WOLFFANGERERIA: Prima litterarum rudimenta domi, paternis præceptis, didicit, donec A. N. C. M DC LXX. decennis puer Hailsbronnæ mitteretur, quæ jam inde ab Imperatoris Lotharii temporibus Cœnobio nobilis, repurgata deinde à Papalibus fordibus religione, & hoc Monachalis pigritiæ receptaculo, auspiciis GEORGII FRIDERICI, Marchionis Brandenburgici, A. N. C. M D LXXXII. in bonarum artium habitaculum converso, multo illustrior fuit. Hic, munificentia Serenissimi Marchionis JOHANNIS FRIDERICI, in numerum Alumnorum receptus, studia sua, Principali liberalitate adjutus, continuavit. In inferiore classe M. Goldnerus Latinam eum linguam & Poësin; in secunda Brechtius, Græca; in prima Rectores Gymnasii M. Colerus, & M. Krebsius stylum, Logicam & Rhetoricam: ad extremum D. Hændelius, qui postea Serenissimo Duci Onoldino à sacris aulicis & Super-

Superintendens Generalis fuit, *Hebræas litteras & SS. Theologiæ principia* docuit. Transegit in hoc Gymnasio annos novem, diligentissimus Præceptorum auditor, variaque in publicis solennitatibus Panegyricis bene collocatæ industriæ specimina, cum perorando, tum differendo, dedit, quibus non tantum amorem omnium, sed & principalem sibi gratiam, ita conciliavit, ut, cum Academiæ maturus esset, continuo decem annorum stipendio, à Sereniss. Marchione donaretur.

Ergo A. N. C. M DC LXXIX. III. Cal. Jul., propitio Numine, ad vicinam primum Academiam Altorfinam se contulit, indeque ulterius iter suum prosequens, Iustratis Noribergæ, Jena; Lipsia, Wittebergæ Saxonum, studiorum continuandorum gratia, substitit, nomenque suum inter Cives Academicos III. Cal. Decembr. apud Magnificum Rectorem, Conradum Victorem Schneiderum, Philosoph. & Medic. D. professus est. Duces laborum suorum in Academia hac, publicos sibi præcipue Professores, laudabili instituto, elegit: in Græcis M. Stolbergium, in Hebraicis M. Willemerum, in Mathematicis, præter M. Rudelium, M. Strauchium & M. Waltherum, tum Mathem. super, post SS. Theolog. D. & Profess., in Logicis & Metaphysicis M. Donatum, in Ethicis & Politicis M. Nöhrenseel in Oratoriis celeberrimum M. Kirchmaierum, & in Historicis, illud Germaniæ lumen, Polyhistorum Schurtzschium, omnes Viros in iis, quas profitebantur, scientiis versatissimos. In Theologicis præterea, magna Wittebergæ nomina, Calovium, Meisnerum, Quenstedtium diligenter audiit. Cursu Philosophico feliciter absoluto, gradus Magisterii Nostro à Facultate Philosophica oblatus est; quem ille honorem, accuratis



ratis in privato publicoq; examine responsionibus, defensaq; erudite pariter ac diserte, Disputatione, *de Transplantatione morborum*, Decano M. Christiano Röhrensee A. N. C. M DC LXXXI. non indignus meruit. Diutius quidem ibidem commorari constituerat, nisi eum metus sævientis tum per Saxoniam pestis mutare consilium, & cedendo salutis suæ consulere coëgisset. In hac necessitate, cum pecuniariis domo subsidiis justo diutius caruisset, insignem erga se benevolentiam D. Waltheri quam memori grataque mente per omnem vitam reco- luit, expertus est, qui non tantum commendatione sua, optimam ei in Pomerania stationem concilia- vit, sed &, ut iter eo prid. Cal. Novembr. ejusdem anni ingredi posset, ære mutuo, adjuvit.

Witteberga, Berolinum transiens, III. Id. Nov. Sedinum venit, & post paucos dies in familiam Gene- rosissimi Viri Alexandri ab Eichstedt, olim in exercitu Sve- eico Centurionis Equestris, post Pædagogii Sedinensis Cura- toris allectus est, ut adolescentes ejus filios studiis formaret. His operam suam & industriam per triennium fere commendavit, exercitatione do- cendi, stylum Latinum magis magisque perficiens.

Inde Academiam nostram ipsis Cal. Jul. A. N. C. M DC LXXX IV. primum salutavit, in qua cum sedem suam figere decrevisset, albo civium nostro- rum, nomen suum post. Non. Septembr. *Rectore- tum temporis Magnifico, Tit., M. Hedione, Log. & Philos. primæ Prof. Ordinario* dedit. Sequente anno III. Id. April. in Ampliss. Facultatem Philosophicam receptus, privilegia docendi habita dissertatione, *de sano & vesano Academico*, VI. Id. Septembr. rite obtinuit. Mox varia collegia Philosophica aperuit, & infor- mando

mando præcipue profæ voræq; orationis stilo non inutilem juventuti Academicæ navavit operam. Neque etiam publice differere volentibus suum de- negavit præsidium, sed A. N. C. M DC LXXX VI. *de Mensa Poëtica*, A M DC LXXX IX. *de Theocra- tia*, A M DC XC. *de Amicorum dignitate* elaboratas à se theses publicæ eruditorum disquisitioni subjecit.

Ita agendo brevi multis singulares ejus in Lati- nitate vera profectus, & non ubivis obvia docendi innotuit felicitas. Unde & primum *Rector Lyccensi Scholæ* à Patronis destinatus, mox A. N. C. M DC XCII. Prid. Id. April. concordibus votis, à Senatu Cniphosiano *Conrector Cathedralis Scholæ* electus, cum certa ipsi insuper ulterioris successionis spes facta esset, hujus voluntati paruit, & suscepta hac pro- vincia, proximo anno, *Oeconomus alumnorum Cniphosianorum* constitutus est. Interim, debita submissione, collatum sibi in Borussia munus, Serenissimo Duci Onoldino indicarat, supplex rogans, ut ejus reti- nendi venia concederetur; quam quidem benignif- sime consecutus est, sed ea conditione restrictam, ut, si patria eum reposceret, stipendiorum largissi- morum memor, ad mandata præsto esset. Fuit ta- men datum in Borussia nostra manere, quam ille, alteram expertus est patriam, Senatu Cniphosiano, *Prorectoris* eum loco A. N. C. M DC XCV. ornante, indeque anno Seculi hujus primo, mense Octobr. defuncto *Rectori, Tit. M. Job. Deutschio*, succedere vo- lente: in quod tamen munus, non nisi medio Ja- nuario subsequente anni, privatis odiis publicam Scholæ utilitatem remorantibus, à (Tit.) D. Pesa- rovio, *Pastore Cniphosiano*, eoque ipso *Scholæ Inspectore*, introductus est.

C

Qua



Qua vero dexteritate & diligentia, vel Scholæ præfuerit Noster, vel discipulos etiam instituerit, tacentibus nobis ipsa loquitur experientia, totque Virorum jam vario publicorum officiorum genere decoratorum testimonia, qui humaniorum litterarum fundamenta, ipso duce, posita, nonnisi grati hodieq; recordantur. Erat præsertim antiquæ puræq; Latinitatis tenacissimus, quam scholastico cœtui suo, quotidianis monitis & exemplis, sedulus inculcabat. Neq; enim ferre poterat absonam illam recens fictas phrasas vocesve, & Latinis nunquam vernaculas, in principem linguam intrudere volentium pruriginem, aut profundam illam Latinæ linguæ genium à maternæ suæ indole discernere ne scientium stupiditatem. Sciebat Latine scribere volentes oportere, ut ita dicam, Latine quoque cogitare, ut, sine ullius alius linguæ idiomatibus, solius Latinæ vim atque ingenium scribendo exprimant. Unde & antiquorum auctorum assiduam lectionem serio suis commendabat, ad quos recentiorum scripta, tanquam ad regulam, examinarent; stultum ratus, non optima quæque ad imitandum proponere. Ridebat præsertim depravatum eorum iudicium, quibus fucati & meretricii ornatus & calamistri, & inane tinnientes vocum lusus, præ masculino ac virili eloquentiæ habitu, plusq; placet Jesuitica redimitus mitra Avancinus, quam ipse inter Romani imperii fasces & simulacra Tullius. In quo quidē tanto ille sentiebat rectius, quanto magis difficile est hariolari, quo bonarum litterarum fato fiat, ut, cum nonnullis scholasticis Præceptoribus omnes novi in Philosophicis scientiis aliis auctus sordeant, in una Latina Lingva inepti novatores esse cupiant, in qua tamen præcipue antiquitatis gloria quærenda est.

Cæterum Noster, inter continuas gravesque scholasticorum laborum molestias, fessus quidem, quotidie, nunquam tamen penitus defatigatus, unicum, divina gratia, domi inveniebat solatium, Conjugem scilicet optimam, CONSTANTIAM SOPHIAM, (Tit.) Zachariæ Dresleri, SS. Theologiæ D. & Prof. Extraord. filiam, quam, felice matrimonio, Tilsæ X. Cal. Febr. A. N. C. M DCC IX sibi junxerat. Hæc, amore sincero, omnes ei curas levare intenta, suo in maritum studio, familiæq; regendæ prudentia, vere sui se semper nominis Feminam, præstabat. Atque hæc domestica Nostri felicitas multum augebatur, cum A. N. C. M DCC XI. Non. Decembr. ex ea filiam Mariam Elisabetham, conjugalis amoris pignus, à DEO sibi donatam, novæq; etiam fœcunditatis spem cerneret, cujus tamen gaudii complementum acerbissima relictis, & invida Nostro mors, præripuit, cognoscendæque Sobolis alterius occasionem cœlo demum reservavit.

Quod si singulas Nostri virtutes prosequi vellemus, iusto prolixiores essemus, præsertim cum notum sit plurimis, quam ille semper antiquæ fidei Vir fuerit. Erat in DEUM pietate non fucata, sincera erga quosvis integritate, perpetuus fraudum & omnis superbiæ hostis. Sorte sua contentus, vanam titulorum pompam spernebat, non alius gloriæ, quam intemeratæ conscientiæ avidus, quæ luculentum ipsi de suo scholæ inserviendi studio testimonium dabat. Misericors, liberalis, fidus, hospitalis, omnia erga pauperes & amicos boni Viri officia implebat. Pacis amans, si quæ forte ipsi cum aliis contentiones ortæ, ut humani semper aliquid patimur, ad reconciliationem erat pronissimus.

Un-



Unde & in extremo vitæ periculo constitutus, hoc se solatio mirifice erigebat, quod nulli mortalium inimicus moreretur, DEUMque precabatur, ut injuriarum sibi ab aliis illatarum, plenam omnibus veniam concederet.

In extrema valetudine primum quidem insitus natura cuivis homini conservandæ vitæ amor in eo apparuit. Unde cum nupera VII. Id. Januar. *dyspnoea* gravius laborare inciperet, Medici confestim consilium requisivit, adhibitisq; præstantibus remediis, si DEO ita visum fuisset, morbum tollere, vitamq; longius ducere cupiit. Cum vero ingravescere morbum, vitæq; finem appropinquare sentiret, mortem etiam intrepidus, DEOque confusus expectavit, sacrisque epulis V. Cal. Febr., summo mane, refectus, vasa collegit, dispositisq; rebus suis, ultimum Conjugi tenellæq; filiolæ vale dixit. Grati vero & beneficiorum non immemoris animi documentum reliquit, cum *Amplissimo Senatui, Scabinis, reliquisq; Civium ordinibus*, sigillatim infinitas pro exhibitis pluribus benevolentia & amoris argumentis, grates, suo moribundi nomine, dici juberet. Reliquum vitæ tempus non nisi cœlestia meditatus est; cum acutior morbi vis omnem ei spiritum jam aliquoties præclusisset, serio hac corporis compage, solvi desiderans, calidissimis DEUM oravit precibus, ut suum in æterna gaudia maturaret transitum. Nec tamen ante XII. Cal. Martii, cum quædam reconvalecendi spes suis iterum affulsisset, exoravit, qua, inter pios funebresque cantus, circumstantibus suis amicisque aliquot, IV. pomeridiana, placide vitam finiit; Natus annos LV. menses X, dies XIV. P.P. Iphis Idibus Martii, A.N.C.  
M DCC XVI.